

3

106.

# AD QUOSDAM POLONOS

DIFFIDENTES ADHUC REBUS PATRIIS

MDCCXCII.



R. R. Omystowici Kopertywilej. s. p.



Smeulzer del.

Groll fec.

*Ecce libertas*

XVIII. 2.1020

<http://rcin.org.pl>

*IN LIBERTATIS SIMULACRUM.*

*Die 17 Januarii.*

~~Congratulationis ad hunc Lib.~~  
~~bonum pietatis~~  
**A**dspice, quisquis ades, Natalia REGIS honorans,  
Atque audi: quid Te, sculpta tabella monet.  
Pileus hastili, liber, supereminet alto:  
Quod dextra, figit Martia Virgo, manu.  
Non procul a talis, contractam & lumine cassam  
Despectans caudam, Pavo superba, tuam;  
Sub pedibus, Monstri, connixa sinistra, jacentis,  
Jam fracto quassat terga subacta jugo.  
Gavisa: elapsas, palma trepidante, catenas;  
Evocat exemplo caetera Regna suo.

Lechica Libertas, tabula depingitur ista:  
Unde venit? per quem sit data? quidve ~~monet?~~  
Aurea Libertas, Coelo demissa potenti  
Est data Regales, per, flupesfacta, Manus.  
Qui tabulam spectas, gemino inflammeris amore:  
Filia Te rapit hinc, Te rapit inde Pater.  
Dulce quidem (Spectator ait) certamen amorum;  
Sed, desiderium, licta lacuna, movet.  
Vindicta, Invidia, Ira, Metus, Discordia, Monstra  
Insidiosa Lachis: dic, ubi sculpta jacent?  
Sacrificata dares si Libertatis ad aram;  
Gratior in mundo nulla tabella foret.

AD QUOSDAM

# AD QUOSDAM DIFFIDENTES.

---

*L*echiadae! Heroes quondam, nunc Natio reſte  
Libera, quis vexat pectora veftra timor?  
*Heus!* revocate animum. Audentes fortuna juvabit:  
Qui nimium trepidant, ante pericula cadunt.  
*F*luidus erepti, quamvis flent littore fimo;  
*S*cylla! tui memores, se titubare putant.  
*T*errita Roma, gravi Cannarum clade, superbum,  
Non desperando, fregerat Annibalem.  
*V*os, queis certa salus, sine Marte, domique forisque;  
Praeteriti memores, Panicus horror agit?  
*T*urpe fuit, validis submittere colla catenis:  
Excusso & fracto, quid? trepidare jugo?  
*L*aurus, quam dederat coelo auspice, tertia Maji;  
Marcescens, solo fracta timore cadet?  
*N*il Cassandra juvat, Proavos solata: resurget  
Candidior turpi Lechia de cinere. (a)  
*I*ncepit, en! spirare, caputque attollere in altum.  
*H*eu! vitam Matri non prohibete Sati?

Jam

---

(a) *Vetus Praedictio, impleta hodie.*

*Jam fractae, redeunt sensim in praecordia vires.*  
*Si quis forte, novus Coriolanus erit;*  
*Talibus audacem reprimet, non territa Mater:*  
*Primum scire velim, Civis, an hostis, ades?*  
*Tene meis Laribus, vicino Numine fretum,*  
*Proh! scelus infandum! velle nocere putem?*  
*Laocoön, timuit Danaos & dona ferentes;*  
*Te Danaum, mussant, quaerere suppetias.*  
*Sed, quae causa pii Civis, nullius egentis,*  
*Excitat in Patrios arma nefanda sinu?*  
*Quam sint vanae hominum curae, quam & inania vota;*  
*Tauricus exemplo nonne recente monet?*  
*Qui, Byzantino sperans dare vincla Tyranno;*  
*Fronde sub agresti, quantulus, ecce! jacet.*  
*Marmoreo vitam cupiens proferre sepulchro,*  
*Oblitus miser est, & monumenta mori.*  
*Dic, ubi Pelides, Macedo, Caesarque, recumbunt?*  
*Richelium & Cromwel, quid monumenta juvant?*  
*Marmora miramur: sed, qui conduntur in illis,*  
*Quid, praeter Diras posteritatis, habent?*  
*Cautior Imberbis: pacem jam poscit & offert,*  
*Thracibus, & vellet restituisse suum.*  
*Sed quis, subversas saeclorum, funditus Urbes,*  
*Quis vitam & fusas restituet lacrymas?*  
*Quid respondebit Veneri Bellona; dolenti,*  
*Adflictos sterili virginitate thoros?*  
*Nec satis esse putans, Istrum foedasse cruento;*  
*Juncta in Sequanicos apparat arma Viros.*

Scilicet

*Scilicet, unde ortum traxisse Minerva putatur,  
 Eversura tuum saeve Tyranne thronum.  
 Sed, Libertatis prior est Costellis origo :  
 Hoc de fonte omnis libera fiet humus.  
 Frigidore, utinam! caluisses sanguine Galle!  
 (Libertas nequuit prima tenere modum)  
 Non tangenda Deum fuerant Altaria: vanis  
 Diffimulanda etiam Stemmatia Nobilibus.  
 Infelix LUDOVICE! doles, non Jura Tyranni  
 Perdita; sumpta Tuis Fratribus arma doles.  
 Postque Tuos casus, post funera saeva Tuorum;  
 Proh dolor! incertas res Tibi cernis adhuc.  
 At, meus AUGUSTUS, pro basi Altaria ponens,  
 Servata primo Nobilitate loco:  
 Quum Libertatem Populis daret omnibus aequam;  
 Nec pilus e Lechico vertice deciderat.  
 CORIOLANE! quid hoc? oculos avertis & aures?  
 Nec credis: dextra, haec facia fuisse, Dei?*

*Natio Lechiadum, nosti, annos ante quaternos,  
 Nonne Deo dignus Vindice nodus erat?  
 Compede stricta gravi, diris confusa minarum  
 Vocibus, atque agili verbere caesa crebro,  
 Non sibi, non Regi fidens, contempta per omnes  
 Terrarum traditus, vix toleranda sibi,  
 Tandem Consultura venit: veterique tenore,  
 Post probra in Regem, post odia austra sui,  
 Post*

*Post aliquid scriptum tineis, post rupta Vetando  
 Consilia, ad proprios mox redditura Lares,  
 (Sorte bona Turcis offam objicientibus hosti)  
 Legatorum animos foedere consociat:  
 Nec consultorum numero confisa priori;  
 Consilii duplices poscit, habetque, viros.  
 Signatur foedus: duplicatur, more, tumultus:  
 Clamat quisque, audit nemo (Acheronta putes.)  
 Hostis habet Belgrad, Chocim, Oczaque: propinquat  
 Particulis Regni Pax redimenda mei;  
 Curia Lechiadum quid tum? verba demens,  
 Mensibus integris, bella cruenta gerit.  
 Incipit, abrumpit: miscet quadrata rotundis:  
 Nec, quid agat, nec, quae sint facienda, videt.  
 Hic monstrum horrendum, ingens (Discordia dictum)  
 Juridicos velans garrulitate dolos:  
 Sueta, cuique suum, nunquam commune, videndum,  
 In consultando proposuisse bonum.  
 Laedere furtivis, vel apertis laedere probris,  
 Tutarique nefas, illius artis opus.  
 Esse duas sectas: Moscho, Prussove, ligatas,  
 Donaque praeberi, mox rapienda, Lachis.  
 Astutum Regem: venales esse Ministros:  
 Legatos, nulla, Pontificesque fide.  
 Jam Libertati, cum Religione, timendum;  
 Ni mediam teneant rupe ab utraque viam.  
 Credita Larva meis, tenues trepidantibus umbras,  
 Delusis toties, & sine corde Viris.*

*Desperata*

*Desperata salus. Animis omnes cecidere.*  
*Multa Senatorum, multaque Nobilium,*  
*Pars avulsa, Lares repetit, Cererisque Ministra,*  
*Hac arat infelix, hac tenet arma manu.*  
*Sedem unam pertesa, aliam pars altera quaerit:*  
*Progeniem, ut veteris se probet esse Scytha.*  
*Hunc tamen, Italicae, Patriam qui praetulit, Urbi,*  
*Fert Romana, bonum, fama fuisse Scytham. (b)*  
*Aequa domi novitas Civi intolerabilis: idem*  
*Saepe ferum patitur Jus Dominumque foris.*  
*Relliquias Lechidum, nantes in gurgite vasto,*  
*Attonitas, trepidas, pallidulasque animas,*  
*Viderat Omnipotens: &, qua dat sceptra, vel aufert*  
*Mortali Generi; Dextera mota sua est.*  
*Infremuit moerore Pater. Post: Lechia tandem*  
*Venit in integrum restituenda mihi.*  
*Dixerat: & fastum est: sed qua ratione modoque;*  
*Inspectare Tuis debueras oculis.*  
*Absenti indigitare, placet, fastigia rerum:*  
*Omnia, si redeas, conspicienda dabo.*  
*Aequo animo, potiora expendere facta volenti,*  
*Omnia parabunt prodigiosa Tibi.*

**R**  
*Restaurandarum, millena obstacula, rerum*  
*Sublata, & pigris redditia corda Viris:*

Otaginta

---

(b) OVIDIUS de Ponto, L. l. El. IV, v. 32.

Octoginta homines, Thracum sub vindice cultro,  
 Prodere secretum non potuisse meum:  
 Nunquam concordes, <sup>ordo per</sup> sexcenta saeclo, Polonos,  
 Mentem unam atque unum cor habuisse semel;  
 Aut prius aduersos, sola novitate timentes,  
 Evictos tandem consociasse animos:  
 Nec metuisse vafros Dominas Videlicis alumnos,  
 Eripiendo fero libera colla jugo:  
 Militis hinc ledti, momento, millia centum  
 Surrexisse meis invigilare focus:  
 Nec veteri adfuetos ulli parere Statuto,  
 Nunc mature omnes vel nova jussa sequi:  
 Rura, Urbesque, uno cum Nobilitate Polona  
 Corpore censeri, & vivere jure pari:  
 Ponderibus librata aequis, confistere tandem,  
 Principis & Populi jura, probante Jove:  
 A sero sapiente, tributa libenter in annos,  
 (Vix audita prius) Nobilitate dari:  
 Regem dimisisse, irritamenta malorum,  
 Feuda, (c) olim heredi singula danda suo:  
 Elanguisse Tribunitium Veto: plura minori  
 Prae numero, Leges nunc dare vota novas:  
 Interregna, atri quondam velut ofitia Ditis,  
 Clausa: secuturo jam data sceptrra Duci,  
 Cujus Avi, Proavique memor, gratusque Polonus  
 Expetit a serq posteritate regi:

Assensisse

(c) Starostwa.

*Affensisse Illum voto, curisque fideque*  
*CZARTORISCE Tuis & MALACHOSCE Tuis: (d)*  
*Surgere conanti, Prussum, idō foedere, primum*  
*Auxiliatricem supposuisse manum :*  
*Terrificum nuper sectumque in frusta cadaver*  
*Mox amissurum nomen adusque suum,*  
*Vivere jam, motumque semel, sine fine moveri,*  
*Obstruētas tacita mente agitante fibras ;*  
*Talia qui cernat, modo non sit mentis iniquae,*  
*Et spissata oculis nubila dimoveat ;*  
*O! quam, clamabit, terris felicior una,*  
*Emicat innumeris Lechia prodigiis !*  
*Non Tua vis AUGUSTE, licet Sapientis, ab orbe*  
*Restauratoris, sit Tibi dandus honos :*  
*Non Tua vis MALACHOSCE, licet Patientis & Aequi &*  
*Mentoris invicti, Nomina funto Tua :*  
*Non vis Vesta, Argo similes utrique Ministri,*  
*Censetisne domi, consulitisne foris :*  
*Nec vestra, a Terris Missi, licet usque nitetis*  
*Ingenio, Eloquio, Dexteritate, Fide :*  
*Verum EJUS, digito mundum qui sustinet uno,*  
*Istud mirandum, dextera fecit Opus.*  
*Non hic est Sinai, non hic sunt cornua Moysis :*  
*Fraternae & Patriae est hoc Pietatis opus.*  
*Hem! cur ad tantam caligant Lampada, quidam ?*  
*Cujus luce nova, Lechia tota nitet.*

Corio-

---

( d ) Delegati a Republica ad Electorem Saxoniae Throno  
destinatum.

Coriolane! viden', quam laetis excita Fefis,  
 Nobilitas, Urbes, Rura, Peana canunt?  
 Bubo sepulchralis, Dysmas (e) Tibi trudit in aurem  
 Mendaces umbras, Patre Acheronte satas.  
 Cui credas, attende: volo, te consule solum:  
 Ingenium novi Fili, animumque Tuum.  
 Tota Europa meos celebrat gratando triumphos,  
 Hos Tibi quis Boreas pellit ab aure sonos?  
 Si te tanta nihil communis gloria Matris,  
 Nec sperata olim commoda nostra movent;  
 Adspice Majorum notissima Faæta Tuorum,  
 Quique hodie lucem Faemina, Virque videt,  
 Fare, quis illorum in Patriam deduxerit hostem?  
 Pro Patria multos occubuisse legis:  
 Omnes pro Patriae vita splendoreque, cernis  
 Et vires & opes exposuisse suas.  
 Non Te degeneres animos monstrare puderet?  
 Negligeresne Tuae fulcra futura Domus?

In lacrymas solvor, Conjunxque, satique, sataeque  
 Particulae ohe! Tuae, deliciaeque meae,  
 Ore, oculis, manibus, genibusque precantur & orant:  
 Ut mutes animum, consiliumque Tuum.  
 Cur, queis parta domi requies, thalamique propinquii;  
 Errant invito, per male fida, Jove?

Omnia

---

(e) Autor Libelli sub titulo: Nad Konfyltucyą i Rewolucyą Dnia 3, Maja roku 1791. Uwagi.

*Oenam vincit amor: tot amoribus usque resistes?*

*Quos omnes uno Patria clando finu.*

*Quo Tibi displiceo? vel quo Tua lumina laedo?*

*Responsum, scripto (f) clausus in orbe, dato.*

*Ora horres, macie & rugis perarata Parentis?*

*Surgere me primum ex pulvere, nonne vides?*

*An, tot vulneribus non plene obducta cicatrix?*

*Cur aegrae Medicam retrahis usque manum?*

*Plura me ad extremum traxerunt saecula casum:*

*Omnia momento restituenda velis?*

*Jupiter in Phrygias descendere debuit oras,*

*Ad sedanda aequa jurgia Coelicolum.*

*Tu poteris, longe Patriis divulsus ab oris,*

*In Patria Sectas composuisse duas?*

*Quam mendax sit fama, & quam longinqua tuenti*

*Res diversa patet, mutua norma sumus.*

*Tu, mihi sepositus, medio monstraris ab ungue;*

*Seposta, & medio monstror ab ungue Tibi:*

*Sed proprius dextras libeat si jungere, quantum*

*Formae adfictae ambo? dissimiles erimus!*

*Confluum mutare pudet? mutare necesse,*

*Mutatis, sapiens, tempore reque, monet.*

*Ante annos quatuor fuerat sententia recta:*

*Non nihil oppressis alleviare jugum.*

*Post annos quatuor sententia rectior haec est:*

*Ad semel excussum nolle redire jugum.*

*Lex*

---

(f) *Spatium trium Mensum.*

B 2

*Lex suprema: Salus Populi. Constantia non est  
 Pluribus ingenis cedere nolle, parem.  
 Velle cuique suum, diversa videntibus: omnes  
 Unius mentis Lex Ratioque facit.  
 Haec Mater: quid natus ad haec? Ego credo, Polonus  
 Romano similis Coriolanus erit. (g)  
 Hoc nemo dubitare potest, cum nupera monstrat  
 In Patriam Civis Littera scripta (h) fidem.  
 Vos, dubitatis adhuc, incredula corda! volentes  
 Civibus ignaris imminuisse fidem.  
 Verum audire juvet. Scio quis Vos scrupulus urget  
 Ultimus: ex imo corde recido malum,*

*Tertia lux Maji sanxit quam cum Jove, Forma,  
 AUTOCRATE sit, vel non, placitura, nova?  
 Solliciti dubitatis adhuc! O libera frustra  
 Pectora! MAJESTAS hocne POLONA finit?  
 Vos, quondam Caros, trepidat, Vos Jura dedisse,  
 Moscua: captivos & tenuisse Reos:  
 Nunc, insonte animo, & naturae lege, Kaluga (i)  
 Foedifraga elapsi, quaeritis: anne licet?  
 Dicite, quae Turtur, turbata mente, rogavit  
 Aucupem: an astutum, linquere rete licet?*

Regie

(g) *Vicisti Mater &c. vide Livium.*(h) *Ad Collegium Bellicum: sub die*(i) *Basilica Polonica.*

*Rege superstite, Rege bono! parilique beati  
 Successore, alios quaeritis usque Deos?*  
*Oblitine estis, responsa roganibus olim  
 Delphica, contemptis nulla fuisse data?*  
*Pergitis abjecti? pudet, heu! pudet, esse Polonum!*  
*Praefero Lechiaco Turturis ingenium.*  
*Augurio certare licet: Ratione tenendum:*  
*Autocraten, nostro nolle nocere bono.*  
*Quis status, & quae sit rebus Fortuna, videnti;*  
*(Sive domi figat lumina, sive foris)*  
*Dissimulare licet, non impugnare. Quid autem*  
*Dissimulet, Populi Mater & ipsa sui?*  
*Innocuum Lechidam, per tot discrimina rerum*  
*Vexatum, Autocrate nesciit, aut doluit.*  
*Sarmaticas Gentes linguaque, habituque propinquas*  
*Sanguine Fraterno commaduisse, pudet.*  
*Palladis imperio jam tempus subdere Regna,*  
*Bellaque non armis, sed ratione geri*  
*Jam, feritate lupis similes nos esse, probatum est:*  
*Tandem monstremus parte secunda hominem.*  
*Nobis Sauromatum veteres ponentibus usus,*  
*Exhinc Palladio vivere Marte placet.*  
*Contenti propriis non unquam aliena petemus.*  
*Nostra reclusuri jurgia jure Domi.*  
*Igne & aqua, interdictus erit, bella impia quisquis*  
*In materna austi viscera ferre sciens.*  
*Pax stabilita, inter Populum Regemque perennis,*  
*Vicinos fugiet tangere lite Lares;*

Quod

*Ne, quam, more suo, nuper finxere rapaces,*  
*Regni scindendi causa redire queat. (k)*  
*Quae jacuit somno vinoque sepulta, vocatur,*  
*Lechia vicinis irrequieta plagis.*  
*Fluminis inferiora tenens, turbare fluenta,*  
*Imbellis, validis agna putata lupis. (l)*  
*Vix lacrymis conquesata: nequire repellere vim vi,*  
*Raptorum in medio nunc quoque muta sedet.*  
*Quod si ita pacatam quaecumque Potentia Gentem*  
*Excitat, & sueto perfida Marte petat:*  
*Praesertim cuius noti feritate Ministri,*  
*Vindiicta nulli, perfidiaque pares,*  
*Humano Cordi Vulpina voce susurrant:*  
*Omnibus in terris Numinis instar agas:*  
*Una sit ut tota tellure Monarchia; cuncta*  
*Imperii causa, frangere jura licet;*  
*Nota Deo, sit nota Orbi jurata voluntas,*  
*Per mare, per terras, per flyga, perque polos.*  
*Lechiadem jam nolle animam praferre pudori,*  
*Captiva Patria vivere posse pecus:*  
*Paucos esse dies Fato mortalibus aegris,*  
*Fama perpetuos vivere posse dies.*

*Mars*

(k) Vide pretensa *Jura in Poloniam*: utque sis eorum  
arquus judex; legas *Juvenalis Satyram III. a V. 288 ad V. 301.*  
*monitus, ut in voce Vadimonia, intelligas sensum vocis barbarae,*  
*Guarantia.*

(l) *Fabula verissima; Lupus & Agnus.*

*Mars! in limitibus vigilans cum Vejove Patre,*  
*Nobilitatem, Urbes, Ruraque, ad arma voca.*  
*Vir, Mulier, Puer atque Senex, & sancte Sacerdos,*  
*Raptis in dextram, quae furor arma dabit;*  
*Currite communem contra violentius hostem,*  
*Quam si testa super flamma repente micet.*  
*LIBERTATIS amor, toleratorumque malorum*  
*VINDICTA, humanos nescit habere modos.*  
*Omnia tunc elementa velim consurgere in hostem,*  
*Si cui post pugnam vita superstes erit.*  
*Audiat haec, scelerum Vindex, & vota secundet!*  
*Fulminibus Coelum grandinibusque ruat:*  
*Sylva caput frangat, fluvius submergat, & aer*  
*Suffocet, in baratum terra adaperta trahat!*  
*Pacifici Aggressor Populi, aequo jure putandus,*  
*Mastrandusque modo, quo furiosa canis.*  
*Nil habet humani, qui hominum omnia jura resolvit:*  
*Posse ferum, pecudis more, perire pecus.*

*Mille regundarum numerant Systemata Gentum:*  
*Optimum id esse reor, quod sibi quaeque legit.*  
*Jur nullum VICINE tenes, aliena regendi.*  
*Reges una nequit Gens tolerare duos.*  
*Faedera nobiscum quicunque poposcerit; illum*  
*Inque sinu, inque oculis Lechia justa feret.*  
*Verum, aliena pati imperia, horret & odit, amico*  
*A REGE, haud pridem, libera facta suo.*

*Divisit totum inter Fratres Jupiter Orbem:  
 Praescriptoque semel limite quisque sedet.  
 Lex aeterna, omnes una Ratione coercet;  
 Jungit & adversos una catena Deos.  
 Perturbatores, ultrix quae poena sequatur;  
 Ignibus aeternis tu Briaree mones.  
 Tempora jam redeunt Saturnia: nomen adusque  
 Dispereant Domini Cosmopolita tui!  
 LIBERTAS RATIOQUE, aeterna in pace moranter,  
 Humana faciet conditione pares.  
 Non nos imperiis subducere colla paramus:  
 Stare, sine imperio, res sociata nequit.  
 Natura monstrante viam, dum Taurus & Anser  
 Observatque suum, consequiturque Duce.  
 Et nos sceptra juvant, Naturae congrua Legi:  
 Qualia lux Maji tertia rite dedit.  
 Sed quem Sceptra juvent, Lege & Ratione soluta?  
 Inferno sedeads saeve Tyranne Throno.  
 Religio Pallasque, duo fulcimina Gentium,  
 Cedere jamne sua de statione velint?*

*O! vos Pontifices! quibus est commissa potestas,  
 Coelesti humanum lege juvare genus:  
 Divinos versate libros, & simplice lingua,  
 (Quae credenda animo, quae facienda manu)  
 Exemplisque docete gregem: norma omnibus, una est,  
 Scripta in divino Codice Evangelico.*

*Non*

*Non illic legitur: sacro repetenda tumultu,*  
*Moenia, ubi placidi posta sepulchra Dei. (m)*  
*Visa quiescentis Monachi (n) male nata cerebro,*  
*Foedare Europam quot potuere malis!*  
*Marti mixta Venus, caedis, luxusque ministra,*  
*Pacificae, mendax, signa secuta, Crucis,*  
*Quid retulit Laribus? seri plorare Nepotes:*  
*Et paria, exemplo, visa cavete, Patrum.*  
*Non hoc fonte fluunt, Fidei velata colore,*  
*Perfida Germani dogmata Theologi:*  
*Proh! delusa quibus timidae facilisque THERESSAE*  
*Relligio, Lechiam per tria membra scidit:*  
*Pax ibi, Pax iterum sonat: & lex una videtur*  
*Non nisi per totum, Numine sparsa, librum.*  
*(Quae servata, homines poterat servare beatos)*  
*Diligite Alterutrum, REDDITE CUIQUE SUUM.*  
*Non nos scripta movent audacia Philosophorum,*  
*Quos Schola saeclo isthoc Epicurea dedit:*  
*More Gyganteo Coelis quae extrudere Divos*  
*Nititur, est terris exitiosa cohors.*  
*Is mihi Philosophus, qui sic, de Numine sentit:*  
*Tam sine Rege Orbis, quam sine Patre Domus.*  
*Relligio si sede sua descenderit; Orbis,*  
*Dic, alia possit qua ratione regi,*  
*Anteferam priscis figmenta recentia Delphis,*  
*Et, meliore situs sorte, negabo Deos.*

Si

(m) Hierosolyma.

(n) Petri.

*Si nil substituis; tua dicta incredulus odi:*  
*Nil sine flare sacra Relligione putans.*  
*Parte sed adversa, tot Commentaria, Leges*  
*Divinas hominem contaminasse videns;*  
*Cum risu dedito: &, aeque incredulus, odi*  
*Somnia Philosophi; somnia Theologi.*  
*Omne ferat punctum, dignusque stet ordine primo*  
*Doctor, Evangelium cum ratione jugans.*  
*Nunquam aliud Natura, aliud Sapientia dicat;*  
*Implius integro nullus in orbe manet.*  
*En! mortale Genus, tua Commentaria, Mundus:*  
*Haec, tua Relligio cum Ratione legat.*  
*Milibus annorum immutabile habendo Volumen,*  
*Mendaces Chartas uro Sophista tuas.*  
*Haeresis abscedat, simul & fanaticus error;*  
*Ut vera tandem luce quiescat humus.*

**R**ugis ad haec, pulsusque redi, majorque Tyranne  
*Affurgis, tutus duplice Palladio:*  
*Hinc tibi suppetias Rex Regi David adumbrat; (o)*  
*Scriptor in auxilium cyclicus inde venit. (p)*  
*Nominis humani indigne, audebisne putare,*  
*Vet, similem esse tibi, nomine, posse Deum?*

*Impie!*

---

(o) Ego dixi: *Dii effis, & filii Excelsi omnes.* Psal. 81.  
ver. 6.

(p) *Historicus, Poeta, Orator, Philosophus, &c: adulans Principibus Populorum.*

*Impie! quis stultus jam tanta sophismata credat?*  
*Esto Deo similis, tuncque vocero Deus.*  
*Omnibus ille Pater, vitam panemque ministrans:*  
*Tu Panem, & vitam Fratribus eripiens.*  
*Ille est pacificus, justus, facilisque precanti:*  
*At tibi tantorum Nominum & umbra deest.*  
*Esto bonus Populi Praeses, bonus Arbiter esto,*  
*Vitanda exemplis & facienda doce:*  
*Otia Vicinis, da Civibus otia prudens;*  
*Poplite nixa tibi thura cremabit humus.*  
*Qui, Divina pili reputans, crudelis, avarus,*  
*Vis servire tuis cuncta libidinibus:*  
*Ex quo fonte petis non intellecta amuleta,*  
*Disce secuturam certior inde necem. (q)*  
*Palladis arbitrio, justo cum Marte statutum est:*  
*Solus Rex Regem ad Sacra duella vocet.*  
*Sit jus inde, feris liceatque perire Tyrannis:*  
*Aequum est, ut parili latro latrone cadat.*

*At, te, olim laudis, nunc auri Scriptor avare,*  
*Quid juvat effictis ludere imaginibus*  
*Lectorum incautum? Lauro infernalia sceptrum*  
*Cur decoras, dum Gens Civibus orba gemit?*  
*Sicne Bono praferre Malum, sic Omnibus Unum,*  
*Aere Tyrannorum charta soluta, potest?*

Difpe-

---

(q) *Sicut homines moriemini: & sicut unus de Principi-  
bus, cadetis. Ibid. v. 7.*

*Dispereant Musae ! Scriptorique utilis uni  
 Littera ! Virtutem vel ruditis Orbis amet.  
 Adflictos errore dies impendere Vero  
 Tandem quaerendo, saecula nostra monent.  
 Jam veteres umbrae abscedunt : Mysteria prostant :  
 Nomine Rex, Civis primus in Urbe suat.*

*Audite o Proceres ! antiqui oracula vatis :  
 Delirant Reges, Natio damna subit.  
 Tota Europa istis reboat nunc excita dictis :  
 Reges arma juvant, Gentibus arma nocent.  
 Rex ad Bella vocans, totum si vicerit Orbem ;  
 Pauper plebs, eadem jussa, tributa dabit.  
 Regem ad Bella vocas, vanissima, raraque Laure :  
 Sanguine Civili Laurus emenda venit.  
 Deficiunt frumenta fami, sine dote puella est :  
 Votiva in nummos fracta tabella fluit :  
 Vinea sicca horret, vomer conversus in ensim,  
 Bos juga deseruit, plaustra reliquit equus :  
 Abrepti thalamis Juvenes, spes tanta Nepotum,  
 Nec quicquam Vidua in Vota vocante Deos.  
 Exalta oborto duplicata stipendia collo ;  
 Cui certa, incerto, publica damna, bono ?  
 Millia legitimus Raptori sustulit ensis,  
 Millia flumen habet, millia Phoebe necas.  
 Ultrix in Patram revocat Libitina Tyrannum,  
 Victorem, an viatum ? Morte soluta mala.*

*Hoc*

*Hoc habeant omnes, quicunque aliena requirunt!*  
*Luxibus haec finis Sardanapale tuis.*  
*At, vos vecordes animae, qui bella moventes*  
*Longinqua, in Patriis steritis usque thoris,*  
*Digna manet vindicta domi. Vistoribus isthaec*  
*Militibus mandat Marsque Venusque suis:*  
*Non imitanda, canis percussi exempla, furentis*  
*In lapidem: ipsa sed est causa petenda mali.*  
*Civibus innocuis ipsi quoque parcite Cives!*  
*Maxima servato gloria Cive datur.*  
*Ecce micant auro, gemmisque superba Tyranni*  
*Tecta, illic Vobis praeda petenda patet.*  
*Imbellis Dominus, muliebri corde Ministrum,*  
*Vittima digna orco, seque suumque dabunt.*  
*Indignus monitu, perpende Oracula Tyranne!*  
*Ne probet eventus dicta, timere juvat.*

*Ad Vos Lechiadae, carissima Corda! revertor.*  
*Credo ego Vos omnem deposuisse metum.*  
*Cernitis Autocraten, Ratione Animoque revinctam,*  
*Independenti nolle nocere Solo.*  
*Quodsi Tarquinius cum aliquo conjunctus Hetrusco*  
*Romanum Lechidam sub juga fracta vocet;*  
*Porsena Tarquiniusque sciant! Genus omne Polonum,*  
*Vindice jub Cultro, Mutius unus erit.*

*Rideat*

*Ille metus Vester, cum jam vertatur in hostem;  
Concordes coeptum perficiatis opus.  
Rideat Invidiam Constantia Vesta: Poesis  
Libera, Censuram ridet ut ista suam.  
Quae Libertatem Mundo per facta probavit  
Natio, servilem nescit habere stylum.*



XVII.2.10 20